

Hermann Christoph Engelken

Herm. Christoph. Engelcken, S. S. Theol. Doct. ... Programma Passionale De Variis Impietatibus Ac Superstitionibus, Paulo Ante Ferias Passionales, Ipsisque Hisce Feriis, Observari Solitis : Qvo Ad piam & Christianam Feriarum tam sanctarum celebrationem Cives Academicos vi officii, hortatur, ac excitat

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1728?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876996896>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1428. Fasten.

~~M 1256.~~^{199.}

Q. 1728

HERM. CHRISTOPH.



S. S. Theol. Doct., Ejusque Prof. Publ.
Ord., ad Æd. Joh. Past., h. t. ACAD.
ROSTOCH. RECTORIS,

PROGRAMMA PASSIONALE
DE
VARIIS IMPIETA-
TIBUS AC SUPERSTI-
TIONIBUS, PAULO ANTE
FERIAS PASSIONALES,
IPSISQVE HISCE FERIIS,
OBSERVARI SOLITIS,

Ad piam & Christianam Feriarum tam
sanctarum celebrationem

CIVES ACADEMICI

vi officii, hortatur, ac excitat.



ROSTOCHII,

Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.

M-1256 199

Nitz

כ"ט

IN recenti adhuc, ut per s'ualus sum, Vobis, *Cives Academiae* amantissimi! hærebit memoria, me, cum pro præsentis officii ratione, *Programma natalitium*, senescente Anno supra millesimum & septingentesimum, vigesimo septimo, scribere, tenerer, publicæque exponere luci, de *variis ineptiis, impietatibus, ac superstitionibus, Nocte festi Nativitatis, ipsisque feriis natalitiis observari solitis*, nonnulla differuisse. Cum ergo, more majorum, secunda vice compellandi mihi estis, ô Mei! nolui diu argumentum quoddam, in quo breviter delineando versarer, circumspicere, sed, ingruente tempore, quod memoriæ passionis Christi instaurandæ dicatum est, & *Quadragesimale* vocari vulgo assolet, *impietates ac Superstitiones, paulo ante ferias passionales, & ipsi hisce feriis observari solitas*, paucis persequi lineis, haud alia fini, quam ut nefandas istiusmodi actiones pia mentis agitatione abominari discatis, ac per omnem modum devitare. Quem enim, quæso, fugiunt *Solemnia malitiæ*, Solemnibus passionibus prohi! præmitti s'veta, ac ex foetidis sive Judæorum recentiorum, sive Gentilium, lacunis, in Pontificio, & ex hoc, in Evangelicum eheu! coetam, infausto plane instituto, derivata. *Judæorum* nimirum Nationi peculiare est festum *Purim*, die decimo quarto & quinto, mensis *Adar*, (qui fere cum nostro *Februario* consonat) insigni celebrandum lætitia *Esth. IX. 20. 21.* At tandem omnia in turpem vivendam licentiam, & peccandi consuetudinem abire coeperunt. *Nihil enim aliud per totum illud biduum, præsertim vespere secunda, quam cibo & crapula se rumpunt, ludunt, saltant, fistula & assa voce canunt, rythmos, & jocosa disteria recitant, mulieres virorum, & viri mulierum personam ferunt, scribente Job. Buxtorffio in Synaga judaica Cap: XXIX. p. m. 559. Imo expresse in Megilla. fol. 7. legitur: סיריב איניש לבסומי כפריא: מורדכי עך דל'אירע בין ארור דמן זכין ברור מורדכי* i. e. *Tenetur homo in Festo Purim eousque inebriari, ut nullam discrimen norit inter: Maledictus Haman, & benedictus Mordechai.* Hinc doctissimus *Wilh. Schickhardus* Orat. peculiari de Festo Purim, Tubingæ An. 1634. ab usum Festi Purim natales dedisse Solemnibus malitiæ Christianorum, non contemnendis adstruxit rationibus, ad castra ipsius penitus transeunte *Civil. Saldeno in Otis Theologicis Lib. 3. Exercitatione I. p. m. 445.* Pariter circa præsentis temporis decursum, *Gentilium* cohors olim in honorem *Bacchi*, unius Deorum suorum, ita dicta *Bacchanalia*, (quæ alio nomine *Dionysæa & Liberalia* audiebant, nec non *Orgia*) magna peregit dementia, dum insani, mortalium pellibus se vestiverunt, plateas clamo:



clamoribus, boatibus, frepitu, compleverunt, in obvios ausu
immani irruerunt, coedes patrarunt, ebrietati, luxuriz, libidini,
impune litarunt, aliisque promiscue vitiis latus patefecerunt fene-
stras. Sic namque *Catullus Epigrammate LXV. vers: 253. canere gestit:*

Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,

Evos bacchantes evos capita insistentes:

Horum pars recta quatiebant cuspide thyrsos,

Pars e divulso jaetabant membra juvenco,

Pars sese tortis serpentibus incingebant,

Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,

Orgia, quae frustra cupiunt audire profani.

Plangebant alii proceris tympana palmis,

Aut terreti tenues tinnitus aere ciebant,

quemadmodum in specie de Bacchis, seu mulieribus, *Baccho sacrificia*
facientibus, Virgilius Lib. VII. Aeneidos ait:

Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent,

Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.

Hinc communiter Solennia malitiae, in Christianorum coetu obser-
vari solita, ab hisce *Bacchi Sacris* originem trahere infaustam, &
creditur & docetur, in quo commonstrando, aliorum diligentiam vicit
Job. Nicolai in Commentatione de ritu antiquo & moderno Bacchanaliorum,
quam *Jac. Gronovius* inseruit *Theauri Graecarum Antiquitatum Tomo IV.*
Adde *Gisbert. Voetii, Theologi Reformati, lectione magis stupenda,*
quam judicio exalciato valentis, *Dissert. de Quadragesima, & Bacchanalibus,*
Dispp. Selectarum Tom. III. p. m. 1398 sq. S. B. D. Christophori Sontagii
Dispp. cui tit: Saltus ab extremo ad extremum geminus Sect: I. p. 7. sqq.
Nos hac vice litem istam non faciemus nostram: An Judaeorum, an
Gentilium Bacchanalia in tristem ab inconsiderata Christianorum
turba tracta sint imitationem, multo minus animo sedet pollicem
premere *Julio Rondello*, qui in *Dissert.*, Gallico concepta idiomate, de
Choenice Pythagora, non tam flagitiosa extitisse Ethnicorum Bacchana-
lia, canfatur, quam communis fert opinio. Id tantum hac vice
mirari subit, in coetu Christianorum ante Quadragesimam, quae
appellatur, adeo omni licentiae frena laxari, ut, si non superari
Gentilium aberrationes & facinora, saltem equari videantur. Pri-
mos olim Christianos, defoecato adhuc praeditos animo, in illud
tempus, quod Gentilium Bacchanalibus destinatum erat, memori-
am passionis Christi amarissimae rejecisse. accepimus, pia hac fini,
ut eo felicius, qui Christo nomen dederant, ab illecebris volupta-
tum ac Bacchanalium deliciis, abstraherentur. Vid. *Dresserum de*

4
Diebus festis p. m. 51. At, non obstante prudenti hac ordinatione, in Ecclesiam præsertim Romanam Bacchi quoddam festum irrepsit. Hospes enim sit omnium rerum ac ignarus, qui nesciat, quanto prolubio feriæ illæ carnis, vocari solitæ: das *Carneval*, Venetiæ & alibi terrarum, à Romano-Catholicis habitatarum, agantur. Næ tunc comoediarum spectationibus, saltationibus larvatarum, etiam personarum, lusibus chartæ vel aleæ, discursionibus per plateas cum larvis, clamoribus, divexationibus obviantium, compotationibus, comestationibus, ludicris gestulationibus, aliisque impudicis ac indecentibus actionibus locus est relictus, ut mente capti potius, quam homines rationis usu gaudentes, oculis usurpari videantur. Auscultemus *Dn. Job. Cusp. Zeümerum im Carneval, oder Faschnachts Feyer der Christen Cap. II. S. 7. p. m. 59*: Es sangen die Römer und andere Italianer ihr Carneval etwa drey oder vier Wochen vor der Heil. Fasten-Zeit an, denn es stehet bey der Obrigkeit, welche Woche sie die tolle Fast-Nachts-Freude wollen angehen lassen. Wann es demnach derselben gutdüncket, läßt sie dieselbe auff öffentl. Gassen durch einen Herold ausrufen, und ansagen, worauff ein jedweder nach eigenem Gefallen wüten und toben mag. Sic in novissimis Relationibus publicis (den Schiffbecker Zeitungen) num. 18., ex Venetia, de die 17. Jan. scribebatur: Vorigen Sonnabend Morgen wurde das Carneval allhier eröffnet mit Verstaatung der Masqueraden. Audiamus porro *Zeümerum l. c. p. 65*. Auff solche Art wüten sie als tolle und unsinnige Leute in der letzten Nacht bis um 12 Uhr, da sie, so bald sie die Glocke hören, den Fast-Nachts-Platz verlassen, zum Priester lauffen, und heilige oder geweihte Asche holen. Denn wer Bergebung der Sünden vor Gott suchen, und erlangen will, der wird nach Art der Juden, von dem Priester mit besagter Asche besprenget, welcher sich dabey dieser Worte bedienet: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reverteris, in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Pudere certe debebat Magistratum istiusmodi publicationis, scelerum impunitatem dantis. Pudere debebat Papam Romanum, sanctissimum illum Patrem, turpis suæ indulgentiæ. Pudere debebat Ecclesiam Romanam, quæ sanctitatis consummatæ gloriam affectat, crepatque, præparationis ad meditationem passionis Christi, tam profanæ, tam irreligiösæ, tam alienæ ab officio Christianorum. Sane ipse Cornelius à Lapide in Commentario in Threnos Jeremia Cap. I. v. 7. p. 337. ed. Antwerp. de An. 1654., ingenue fateatur, vitam tam propudiosam nil nisi infidelium excitare ludibrium, inquiens: Turca, heretici, alique infideles ridens Sabbata, id est, festa*


festis Christianorum, dum ipsi lascivis spectaculis, ebrietati, libidini, festis au-
bus vacantes, turpiter otiantur. Ita NB. riste & subsannavit legatus Turca
bacchanalia Christianorum, dum enim Parisiis ageret apud Regem Gallia, vi-
deretque illis diebus miram Christianorum petulantiam, & comotationes, as-
statim post die Cinerum eorum modestiam, & gravitatem: Quid, ait, accidit
Christianis? Heri videbantur ebrii & insani, hodie videntur sobrii & sani.
Quis est iste cinis tanta virtutis, qui fronti eorum aspersus, mira metamor-
phosi ex stultis sapientes, ex petulantibus modestos, ex lascivis castos reddi-
dit. H. J. Eadem fere propinat Busbequius in Legatione Turcica Epist. 3.
p. 189. Interim ne oblivisci videamur manticæ, quod in tergo
est, omnino dolere tenemur, in Evangelicas etiam terras pessim-
um illud fermentum penetrasse, adeoque varia impietatum genera
circa sanctissimas passionis ferias suscipi ac regnare. Bene namque
Casp. Calvinius in Rituali Ecclesiastico Part. II. Cap. 27. p. m. 316.
Utinam ait, Dionysiana ista sacra tota essent ex Ecclesiis Evangelicis eradicatora.
Enim vero repullulant non solum in aulis, sed & in caulis. Quin his ex
vetusto ritu herere videtur castigatio, qua virgis fit à ludicra plebe his die-
bus: Et quidem proxime id oriri potuit ex disciplinationibus, ceu vocans,
ac castigationibus poenitentium, ad Quadragesimam peractis. Sed & altius
castigatio ista cum ipso Germanorum vocabulo fuen, sic enim nuncupant eam,
peti potest. Ex Italia sane ac Gallia consuetudo istiusmodi improba
ad Germaniæ Magnates ac plebejos devoluta est, quandoquidem
Politici nostri, peregre profecti, modum, hisce temporibus per-
græcandi, in ditionibus Romano - Catholicis usurparunt oculis,
mox quoque, reduces facti, in aulas ac regiones Principum Pro-
testantium invexerunt, haud abs re monente Sincero Catholico (i. e.
B. Nic. Haafio) in der Abbildung der Passions- und Fasten-Andacht
in der Römischen Kirchen Cap. VII. §. IV. p. m. 82. Tetro autem
peccatorum coeno se commaculare Hilariorum talium sectatores,
cujus etiam conditionis fuerint, facili constat negotio, cum sacræ
paginae nos nunquam non à dissolutis moribus ac a^{σωφία} dehorten-
tentur, ac avocent Röm. XIII 11. 12. 13. 14. 1. Thess. V. 6. 7. 8. Gal.
V. 21. 1. Petr. II. 11. 12. Cap. IV. 1. 2. 3. 4. 5.; cani item Ecclesiæ Do-
ctores, Chryostomus Homilia in Matth XI. Nazianzenus in Orat. de Sanctis
Epiphania luminibus, Augustinus Epist. 14. ad Maximum Grammaticum,
in Bacchanalia justo invehantur zelo. Comparari hic meretur
Voetius loc. cit. p. m. 1390 fgg. Unde etiam laudabilibus Magistratu-
um edictis istiusmodi malitiæ solennia prohibita apud Nos sunt,
& prohibentur. Conf. Zeumerum vom Carneval Cap. III. p. 10. fgg.
Pedem jam, quantum residuum adhuc spatium concedit, pro-
movere

6
movere collibet ad impietatum ac superstitionum genera IPSIS FERIIS
PASSIONALIBUS adamari solita. Vocat me hic statim ad se JEJU-
NIUM, quod vocatur QUADRAGESIMALE, quod in Ecclesia
Romano-Catholica ambitu inde a die Cinerum suscipi moris est, &
consistit in sola abstinentia à carnibus quadrupedum ac avium, &
ad summum etiam ovis, butyro, caseo &c. Profecto Superstitio-
nis, seu cultus inepti, nomine institutum istud jure insigniri, vel
inde satis liquere arbitror, quia neque abstinentiam ab omni es-
ca, neque parciozem ejus usum, sed merum cibi, illiusque op-
pido nonnunquam delicati, delectum atque discrimen, (uti in
Aug. Confess. Artic. V. Abusuum p. 28. salutatur) omnis mandati di-
vini expers, involvit. Cum Anno MDCXII. Collegium Jesuitarum A-
quisgranum diripiebatur à furente plebe, inventa est talium rerum (sc: piscium
optimorum, conditorum ficuum, amygdalarum, vini generosissimi &c.)
magna copia, sustinendo jejunio Quadragesime, quod tum forte pra foribus
erat, apparatus, ut vulgus Aquisgranense in Imperium Alcinoi se incidisse
existimaverit, imitor linguam Georg. Calixti in *Orat. de Jejunio p. m. 14.*
Qvale, quæso, est jejunium, quod in cibi potusque lautitia ac
satietae consistit, saltem consistere potest? Annon DEUS O. M.
hic ingeminare opus habet? Frustra colum me docentes doctrinas, præ-
cepta hominum *Matth. XV. 5.* Et quid dicendum, si meritorium isti-
usmodi jejunium, (quo peccata expiuntur, mitigatur ira DEI, & DEO
gratiores efficiuntur, dicente Petro à Soto *Tit. de Jejunio,*) à Pontificio-
rum choro venditari, secreta animi pensitatione consideramus,
Cum olim Purpuratorum aliquis viliorum duntaxat piscium
compos fieri posset, exclamavit: O quanta patimur (En latinitas!)
pro regno DEI, narrante Regio in *der Wunderbahren Absolution*, apud
Aur. der unschuld. Nachrichten An. 1710 p. 397. Annon, fodes,
Pharisaicum sapit fastum, operi cuidam, quod ex proprio excogitatum est ingenio, retributionem DEI necessariam tribuere? An-
non potius inventum abstinentiæ à certis ciborum generibus, no-
men doctrina Demoniorum aufert *1. Tim. IV. 3.* Taceo Jejunium Pon-
tificium vergere duntaxat in redituum Papalium augmentum,
cum Papa Romanus concessione potestatis edendi carnem, infini-
tam pecuniæ copiam lucretur, Vid. *B. Gobelii Casareo-Papiam Ro-*
manam p. m. 758. Hinc Pater Bonaventura Pisanus sequentem dedit je-
junii definitionem, referente Pontificio converso. *M. Job. Mich. Hau-*
senio in der Hirten Tasche wieder P. Marcum Schönmann p. 393. a-
pud Gobelium *lc. p. 217.*: Jejunium Romano-Papisticum est cultus apertus
occulti remedii, quo Papa Romanus cum suis Dominantibus suos subditos parcos,
s


7
se ipsos autem laute sustentare valet: Et politica privata atque singularis ma-
gni Anti-Christi adipiscendi absolutum imperium in omnes gentes, & sibi sub-
jugandi omnem terram. Dispensat quidem nonnunquam, sed non nisi, ubi
piscis rari, ubi rara caro, ubi est pecunia, ibi datur venia. Consulantur ad-
huc, quia plura addere non vacat, B. Chemnitius in *Examine Concilii
Tridentini Part. IV. p. m. 123. sqq.*, Calixtus & Hoepffnerus in *Commen-
tariolis de Jejuniiis*, junctim editis Hanoveræ, An. 1655., Job. Schmi-
dius in *Diss. de perverso Christum imitandi studio* §. 12. 13., Haasus in *Der
Passions Andacht der Römischen Kirchen* p. 144 sqq., ex Reformatis,
Voetus in *Diss. de Quadragesima*, *Dispp. select. Part. III. p. m. 1383. sqq.*, &
ex ipsis Pontificiis, Job. Launojus in *diss. de veteri ciborum delectu*. Per-
go ad NOVUM SPECIMEN superstitionis, ipsis feriis passionibus ob-
servari solitum. Consecrationem in uo aurea Rosa, quæ quotannis tempo-
re quadragesimali à Papa Romano instituitur. Vacuas, quæ so, præ-
beamus aures Philippo Mornæo in *Mysterio Iniquitatis, seu historia Papa-
tus*, p. m. 1060., ed. Salmur. An. 1602. totam nobis rem, & qua ori-
ginem, & qua ceremonias, breviter ac nervose enarranti, hisce ver-
bis: *Urbanus V., Dominica, que dicitur Latere, Rosam consecrat, que primo Jo-
hanna, Sicilia Regina, famigerata meretrici, donatur, que virum necarat. Inde
vero Successores singuli, recurrente Quadragesima, Principem aliquem ejus dono
devincire olent. Aurea illa rosa, quam in Missa, magna pompa, certis oratio-
nibus, Balsamo inunctam musco contrito conspersam, aqua benedicta perfu-
sam, thure demum fumigatam, in signum, ajunt Hierusalem tum triumphantis,
tum militantis, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. consecrant. Hactenus
ille! Hoc dono Papali condecorabatur olim à Leone X. Papa, Fridericus,
Elector Saxonie laudatissimus, teste Joh. Sleidano Commentariorum de
statu religionis & Republicæ Lib. I. p. m. 17.*, hac fini, ut Elector,
tanta Pontificis liberalitate permotus, Lutherum perlatori illius
Rosæ, Carolo Militio, tradi juberet, concederetque, ut Megalan-
der Romam captivus abduceretur, ac rogo injiceretur. *Vid.
Seckendorffium in Commentario de Lutheranismò Lib. I. p. m. 65.* Facile
autem illud Consecrationis aureæ Rosæ negotium atro carbo-
ne dignum reputabit, qui contemplatus fuerit nefandum nominis
divini abusum, in consecrationis actu commissum, qui item finem
æqua perpenderit lance, conservationem nimirum Magnatum in
Superstitione papali, ac instigationem ad Pontificiæ voluntatis im-
pletionem. Sicco prætereo socco impium illum furorem, quo Papa Ro-
manus quotannis, die viridium, una cum aliis, Nos Evangelicos, seu
Lutheranos, nominatim, in publico Ecclesiæ Coetu, projecta ex mani-
bus tæda ardenti, anathematis fulmine percutere audeat, uti legere est
apud B. Lutherum Tom. II. Jen. Germ. fol. m. 44. sqq. & Berckenmeyerum
in

in Antiquario Part. I. p. m. 308. sq. Nobis certe, qui veræ ac repur-
 gatae religionis causa maledictionem istam incurrimus, adeoque
 egregio Christi umbone gaudemus, nihil iræ Papalis ætus office-
 re, sed potius solatio esse poterit dulcissimum Servatoris verbum
Luc. VI. 22. Conf. B. Schelwigii Prüfung des Bapstthums Cap. XXXIII.
p. m. 642. sq. *Ultimum* tandem superstitionum genus afferam in sce-
 nam, quo Nonnulli ipso sancto *Parasceves die* varias suscipiunt ine-
 ptias, ac nescio, quid sibi inde felicitatis portendunt, & pollicen-
 tur. Sic, ut uno tantum alterove documento fidem dictis concili-
 em, quidam, dicto die, ante Solis ortum, lignum nigrum, & alias
 herbas stabulis indunt, persuasi, homines tunc malignos pecori-
 bus suis nullam, per totius anni decursum, inferre posse noxam.
 Sunt pariter, qui ova, memorato die posita, domorum tectis sup-
 ponunt, rati, istiusmodi adificia hocce medio ab omni fulminis i-
 ctu præstari immunia. Sunt itidem, qui eodem die, antequam
 Sol ortus est, radices certas (*Weiß-Wurzeln*) vaccis propinant, vel
 caudis earum assuunt, putantes, illas sic majorem lactis copiam
 subministraturas, & Sagarum, lac subtracturarum, technis exposi-
 tas non esse. Nolo plura accerere, larga manu suppeditata ab
Hilfhero in Tr. von denen zur Fasten und Osterzeit eingerissenen Aberg-
glauben p. 25. sqq. & Fago-Villano, i. s. Zimmermanno, in dem allzuaberg-
gläubigen Christen Cap. III. S. 2. p. m. 187. sqq. At qualis est Diei Pa-
 rasceves cum istiusmodi effectibus connexio? Talia certe recen-
 sere, est, illorum stoliditatem proferre in apricum. Nihil itaque ali-
 ud restat, nisi ut *Vos, Cives amantissimi!* enixe obtester ac exhorter,
 velit, non *Bacchanaliorum voluptate*, sed Christi, Servatoris dulcif-
 simi, amore, præsentis hocce tempore, trahi. Christus Vobis, per in-
 tegrum aliquot hebdomadum spatium, præscribetur ante oculos *Gal.*
III. 1., memoria vulnerum Ejus, sanguine madentium, dolorum ex-
 quisitissimorum, afflictionum vehementissimarum, piè renovabitur.
 Utinam quilibet vestrum cum beatissimo Gentium Doctore erumpe-
 re gestiat: *Non arbitratus sum scire quicquam, nisi Jesum Christum, &*
hunc crucifixum I. Cor. II. 2. Ne ergo Christum impiis sive verbis sive
 actionibus offendite, ac *velut de novo crucifigite, Ebr. VI. 6. Crucifigite*
potius carnem cum cupiditatibus & concupiscentiis Gal. V. 24. Aversami-
 ni larvas, remoti interdum pudoris testes. Fugite luxum ac profu-
 sionem. Exesse jubete rixas ac contentiones, infestite potius vestigiis
 sanctissimi Servatoris, & ad regulam virtutum ipsius vestras
 componite actiones. Is enim Vobis, nobisque omnibus,
 acclamat: *Discite à me Matth. XI. 29.*

P.P. Anno MDCCXXIX, Domin. Quadragesima
 Sub Sigillo Rectoratus.



se ipsos autem laute sustentare valet: Et politica privata atque singularis in
gni Anti-Christi adipiscendi absolutum imperium in omnes gentes, & sibi su-
jugandi omnem terram. Dispensat quidem nonnunquam, sed non nisi, ut
piscis rari, ubi rara caro, ubi est pecunia, ibi datur venia. Consulantur a-
huc, quia plura addere non vacat, B. Chemnitius in Examine Conca-
tridentini Part. IV. p. m. 123. sqq. Calixtus & Hoepffnerus in Comen-
tariolis de Jejunii, junctim editis Hanovera, An. 1655., Joh. Schm-
dius in Diss. de perverso Christum imitandi studio S. 12. 13., Haafius in
Passions Andacht der Römischen Kirchen p. 144 sqq., ex Reformati-
onis Vetus in Diss. de Quadragesima, Dissp. select. Part. III. p. m. 1383. sqq.,
ex ipsis Pontificis. Joh. Launojus in diss. de veteri ciborum delectu. Pe-
go ad NOVUM SPECIMEN superstitionis, ipsis feriis passionibus con-
servari solitum. Consecrationem inno aurea Rosa, quæ quotannis tem-
pe quadragesimali à Papa Romano instituitur. Vacuas, quæso, pre-
beamus aures Philippo Mornao in Mystero Iniquitatis, seu historia Pa-
tus, p. m. 1060., ed. Salmur. An. 1602. totam nobis rem, & qua-
ginem, & qua ceremonias, breviter ac nervosè enarranti, hisce vi-
bis: Urbanus V., Dominica, quæ dicitur Latave, Rosam consecrat, quæ primo
banna, Sicilia Regina, famigerata meretrici, donatur, quæ virum necarat. In
vero Successores singuli, recurrente Quadragesima, Principem aliquem ejus di-
divincire olent. Aurea illa rosa, quam in Missa, magna pompa, certis ora-
nibus, Balsamo inunctam musco contrito conspersam, aqua benedicta per-
sam, thure demum fumigatam, in signum, ajunt Hierusalem tum triumphan-
tum militantis, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. consecrant. Hacten-
ille! Hoc dono Papali condecorabatur olim à Leone X. Papa, Frederi-
Electo Saxonie laudatissimus, teste Joh. Sleidano Commentariorum
stature religionis & Reipublica Lib. I. p. m. 17., hac fini, ut Electi
tanta Pontificis liberalitate permotus, Lutherum perlatori illi
Rosæ, Carolo Militis, tradi juberet, concederetque, ut Megal-
der Romam captivus abduceretur, ac rogo injiceretur. See-
ckendorffium in Commentario de Lutheranismo Lib. I. p. m. 65. Fac-
autem illud Consecrationis aureæ Rosæ negotium atro car-
ne dignum reputabit, qui contemplatus fuerit nefandum nomi-
divini abusum, in consecrationis actu commissum, qui item sin-
aqua perpenderit lance, conservationem nimirum Magnatum
Superstitione papali, ac instigationem ad Pontificia voluntatis im-
pletionem. Sicco pratero loco impium illum furorem, quo Papa
manus quotannis, die viridium, una cum aliis, Nos Evangelicos,
Lutheranos, nominatim, in publico Ecclesie Coetu, projecta ex ma-
bus tæda ardenti, anathematis fulmine percutere audet, uti legere
apud B. Luikerum Tom. II. Jen. Germ. fol. m. 44. sqq. & Berckenmeyer



the scale towards document